

II Per sensus externos certi sumus de existentia corporum, & certis eorum qualitatibus; sensus internus nos reddit certos de existentia animae ejusque affectionibus.

III Revelatio de veritatibus ad salutem vel necessariis vel utilibus; testimonium aliorum de factis nos certos reddit; quam praeclara sint comoda, & quae quasi necessitas sit testimonii aliorum, declarabimus.

IV Nec revelatum, nec testimonium aliorum semper clarum, sed saepe perobscurum est, nec semper constat de auctore alicujus testimonii; arte proin hermeneutica & critica opus est.

V Plurimae sunt artis hermeneuticae ac criticae regulae, quarum potiores explanabimus & ex iis sequentia resolvemus problemata: a) adsignare dotes interpretis. b) Locum auctoris obscurum noscere & declarare. c) dijudicare, utrum scriptum aliquod, aut licet sit genuinus an spurius. d) discernere librum subpositum a mutilato vel interpolato. e) Recensere causas mendorum, quae in veterum praecipue libros irrepsere.

VI Ratio & revelatio sibi adversari nunquam possunt.

§ VII

DE FONTIBUS ERRORUM.

Generales errorum causae sunt ignorantia, & mentis in judicando praecipitantia; quidquid igitur in causa est, ut notiones nostrae obscurae, confusae aut minus adaequatae sint, & quidquid in judicando praecipitantiam causat, causat errores. Speciales errorum causae sunt praepudicia omnigena, memoriae infidelitas, vocabula,
ad-